

natque, tum quampluribus, & quidem non vulgaribus Pontificum decretis, tum præclarissimis Illustrissimorum Cardinalium super Concilium Tridentinum declarationibus, atque grauium aliorum Doctorum testimonijis. Attegit etiam ad maiorem pulchritudinem, & iucundissimam varietatem singularia non pauca ex Iure Casareo, & Canonico. Expargit denique iuxta Theologiæ moralis flores ex arido disputationum moralium campo selectos, sed qui suauem, securum, & religiosum odorem effluant, & noua quadam luce vestiti sapientum oculos pascunt, in eoque, velut in speculo, pietas, & Auctoris eruditio, acumen, & securitas iudicij prudentialis mirifice resplendent. E quibus omnibus emergit, opus id esse, in quo nihil mutandum, nihil delendum, aut censura, sed laude dignum, omni dubio semoto, iudicandum sit, de quo securè proferre possumus id, quod Plinius Iunior instantèr dicere solebat cuidam amico suo, rogans vt sua opera in commune bonum lucem aspicerent, *Effinge aliquid, & excude, quod sit perpetuum tuum*, quod in hac fertilissima librorum ætate de paucis verificari potest. Censeo igitur, posse hunc librum typis mandari; tum in communem omnium vtilitatem, tum in Religionis nostræ perpetuum decorem. Præsertim cum in nullo à Christiana morum deijet honestate, vel Orthodoxæ fidei dissentiat, immo in omnibus cum illa mirifice cohereat. In hoc Conuentu Minimorum Genuensis Urbis, die 4. Mensis Aprilis, Anni Dominicæ Incarnationis 1626.

F. Ioannes Ponce de Leon, Lector Primarius, & Regens.

A P P R O B A T I O.

De commissione reuerendiss. P. N. F. Simonis Bachelier, totius Ordinis Minimorum generalis Correctoris.

Infrascriptum Volumen commentariorum in Religionis priuilegia, denuò elaboratum à religiosissimo, & erudito P. F. Laurentio de Peyrinis Genuensi, eiusdem Religionis alumno, in hoc olim Collegio Iesu Mariæ primario Moderatore, nunc autem dignissimo Prouinciali Genuensis Prouinciæ, sedula, qua potius, cura perlegi, accuratèque euolui, cognouique opus sane hoc nulla censura reprobandum, sed laudibus potius, & encomijs esse celebrandum, cum in eo nihil catholice fidei dissonum, nihil bonis moribus contrarium, immo illud sacrorum Conciliorum actis, & S. R. E. ritibus, necnon sacre Scripturæ sententijs, & Patrum dogmatibus mirifice consonum inuenerim. Solidam quoque doctrinam, breui stylo, compendiosam tamen animaduerti. Vnde scripta hæc Auctoris sui pietatem insignem, vitæ candorem, eruditionem eximiam, sacrarumque litterarum notitiam satis ostendunt. Quapropter, ipsis in publicum editis, maximam inde fidelibus, & potissimum Regularibus vtilitatem securam haud leuiter existimo. Quare quòd typis tradantur, mihi dignissimum visum est. Datum Genuæ in Conuentu Iesu Mariæ, die 24. Mensis Maij, anno 1626.

F. Christophorus Rengel, Lector Primarius sacre Theologiæ.

Facultas Reuerendiss. P. Generalis.

F. Franciscus à Longobardis totius sacri Minimorum Ordinis SS. Patris nostri Francisci de Paula Corrector generalis.

Reuerendo P. F. Laurentio de Peyrinis eiusdem Ordinis Theologo facultatem facimus, vt possit typis mandare librum, qui inscribitur: *Addimenta, seu Tomus tertius Priuilegiorum Regularium*; dummodo diligenter examinetur, & approbetur à duobus Theologis, siue nostris, siue alterius Ordinis, nominandis à Reuerendo Patre Prouinciali nostræ Prouinciæ Genuens, & addit etiam facultas aliorum, ad quos pertinet. In quorum, &c. Datum in nostro Conuentu S. Andree de Frattis de Vrbe, die 2. Octobris 1632.

F. Franciscus à Longobardis indignus Generalis.

Commissio Adm. R. P. Prouincialis.

F. Io: Chrysofomus Malaspina Ordinis Minimorum, & in Prouincia Genuensi Minimus Corrector Prouincialis.

CVM P. F. Franciscus à Longobardis nostri Ordinis Generalis, fecerit nobis facultatem nominandi duos Theologos, qui diligenter examinerent librum, qui dicitur, *Addimenta, seu Tomus tertius Priuilegiorum Regularium*, Adm. R. P. F. Laurentij de Peyrinis. Nos hanc Prouinciam commisimus R. P. F. Hieronymo Trimarchi, nostri Ordinis insigni Theologo, & sacre Theologiæ ac iuris canonici Lectori, & P. F. Francico Mariæ de Agritolijs Lectori Theologiæ in hoc Ictu Mariæ Collegio. In quorum fidem, &c. Datum Genuæ, die 27. Ianuarij 1633.

F. Io: Chrysofomus Malaspina Prouincialis.